II. Scientiam Phyſicam, (ut omnes alias) procedere ex notitia principiorum, horum autem ex confuſa notitia eorum quorum principia ſint. Ariſt. 1. Phyſ. tex. 1. & 3.

Nec derogat hoc eorum primatui. Nam 1. Demonſtrationes ex principiatis non venditantur pro demonſtrationibus τȣ̃ διότι, ſed τȣ̃ ὅτι tantùm procedunt ſcilicet ex effectis ad cauſas, & tales in locis citatis requirit Ariſtoteles. 2. Non tam ſunt ipſorum principiorum, quàm affectionum eorundem, ut, quòd ſint tria, item quomodo rationem principii habeant, v. g. materia ut ſit ſubjectum, &c. 3. Phyſica non eſt ſcientia prima, ſed habet aliam ſe priorem, videlicet Metaphyſicam, à quâ nonnulla mutuatur. Et hoc notetur etiam de quibusdam Theorematibus, non hujus tantùm, ſed & ſequentium capitum atq; librorum, ubi brevitatis ſtudio principia ex quibus fluunt non ſemper diſertè præponuntur, cujusmodi autem ſint, & quòd in Metaphyſicis vel diſertè tradantur, vel indè fluant à ſagacioribus ex Analyſi non difficulter intelligetur nec à nobis, σὺν θεῷ, pro lectione negligetur.

III. Quæ